



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 117. Cum juramento. v. 72.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

exiverat iam Petrus ante atrium post primam negationem, & iterum regressus erat vel adhuc itabat cum iterum tentatus est, & iterum negavit: hinc clamat Ieremias cap. 51. *Fugite de medio Babylonis & salvet unusquisque animam suam.* & S. Bern. serm. 3. de Conversione ad clericos quid ni periclitetur castitas in delictis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc saeculo nequam. *fugite de medio Babylonis, fugite & salvate animas vestras.*

Heu quam multi similes Petro, qui licet experti sint lapsum, in eodem tamen lubrico, & super glacie eadem nihilominus pueriliter rursus regrediuntur in eandem miseriam, & quæ ipsos non infestat domi, foris quærunt, ruinam.

Heu miseri! & ego peccator Confiteor Deo Patri Omnipotenti & dilecto eius filio Iesu Christo nostro redemptori, nec non B. Mariæ Virgini Dei genitrici, S. Petro & omnibus cælestibus, Confiteor ex toto corde meo, me Petrum secutum per varia peccata recidendo, quæ sic in carne mea cumulata sunt, quemadmodum arena in littore maris, & quemadmodum onus grave gravata sunt super me! de his omnibus admissis vehementer doleo, eorumq; me ex toto corde pœnitent: sicut ergo lecatuſ fui Petrum errantem, sequar & pœnitentem per intercessionem eiusdem S. Petri, sanctorumq; omnium pœnitentium in cælo, obsecro domine, adiuva infirmitatem meam.

§. 117. Cum iuramento. v. 72.

Nec satis erat mentitum fuisse Petrum se nescire Christum, & negasse simpliciter Dominum suum, sed superaddit cum iuramento non fuisse cum Iesu Nazareno, & hoc ad unius ancillæ vilis interrogationem? at obsecro quis instigavit duas hæc ancillas, ut ita Petrum interrogarent, variè exagitant & tentarent, ut omnino à Iesu deficeret vir tantopere cordatus? Dæmon, Dæmon, iuxta verbum Iesu, Luc. 22. Ecce Satanæ expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, & profecto cribravit discipulos Christi, & modo adhuc cribrat, in Hollandia, Anglia, Scoria, Iaponia, aliisque infidelium regnis, uti ostendunt Martyria & Edicta contra Catholicos usitata, sed & hæc sunt hora est potestas tenebrarum.

O Petre, Petre quantum tibi nocet visum fuisse ab ancillis & audisse loquentes, à quot singulis & calidissimis lacrimis liber fuisses si eas nunquam vidisses: ô quantum tibi constitit ancillas audisse & eis respondisse: an non ergo merito ab his infirmiores Petro sibi timere debent? quando illud caput Ecclesiæ Dei, & petram ipsam & basim convellere dæmon annis est per ancillas, sed & ante & post ipsum. O quot milia hominum fecidavit & in pericula præcipitavit! Hoc est rete internalis piscatoris. Et tamen Quinti Evangelij præco Reformator Ecclesiæ ausus fuit scribere; Si

non vult coniux, veniat ancilla. Vere Homo ista scribens aperta erat porta inferni. O humanæ infirmitatis exemplum, qui hoc scripsit fuit Monachus, fuit Fr. Martinus &c, qui se igitur existimat stare, videat ne cadat, quis enim ad tantum lapsum Petri, Lutheri, calvini &c humiliter & cum sui diffidentia non incedat? quis bonis fidat affectibus? O Iesu ne me uuquam verbis aut factis te negare permittas, vel mentiendo & multo minus iurando sine veritate, reverentia & necessitate.

§. 118. *Quia non novi hominem, v. 72.*

Petre, Quid dicis? non novisti Iesum magistrum tuum ad quem te adduxit primum frater tuus Andreas, &c qui è mari vocavit te postea cum fratre tuo Andrea piscantem, & quem relictis omnibus secutus es? & à quo in piscatorem hominem es promorus. non novisti magistrum cum quo comedebas panem azymum triennio & agnum paschalem, ad mensam eius accinctus, baculum in manu tua? Quis tibi lavit cæna in ultima pedes? nonne ille magister tuus? qui & tibi renitenti dixit, si non laveris te non habebis partem mecum? & tu adhæc, non solum obtulisti ei pedes sed & manus & caput? an non post cænam te sumpsit secum in hortum, an non ibidem obdormisti ipso orante, & rediens ad te tertio, ut vigilares etiam admonuit, quia hostis appropinquaret? an non adventante eodem hoste gladium extraxisti in eius defensionem? dic quæso, mi Petre, quam ob causam venisti huc in atrium Pontificis? quare tam diu hic moraris, in frigore, inter turbas militum, nonne ut fidem datam Christo servares; & videres finem eius captivitatis? Cur igitur modo frangis fidem, & promissionis quasi oblitus, dicis: *Quia non novi hominem* Magistrum & Dominum meum, & hoc cum iuramento! ad quam insaniam venisti? ut quod sole clarius patet & probe nosti, neges constanter & apertè contra conscientiam propriam, contra fidem datam, contra scientiam & notitiam publicam, quid dicis? taces, Petre dicam ego. Times, & quid times? carcerem, mortem, & unde ea times? non à iudicibus examinatus, sed ab ancillis interrogatus negas Iesum, negas te illum nosse, te illius esse discipulum, nec simpliciter sed cum iuramento. erit cum eum coram Nerone & toto mundo intrepide confiteberis, & timorem illum sanctè damnabis.

Nunc ad me converto me, Domine, & aio visis his quæ evenerunt Petro: Noverim te mi Iesu & noverim me, nec aliquid cupiam nisi te, oderim me & amem te; humilem me, exaltem te, nihil cogitem nisi te; persequar me, sequar te; timeam mihi, timeam te; diffidam mihi, fidam in te, & in nullo afficiar nisi in te, ut in æternum fruatur te.

§. 119. *Et post pusillum accesserunt qui stabant & dixerunt Petro, v. 73.*

Dum Petrus ita palam loqueretur ad ancillam in atrio, in præsentia